



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 1. An qui injustè læsit alterum in bonis spiritualibus naturalibus tenetur  
ad restitutionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

## PARS III.

*De Injuriis in particulari, & necessaria  
restitutione.*

## CAPUT PRIMUM.

*De Injuriis, & damnis in bonis spirituali-  
bus, & necessaria restitutione.*

**N**OTA. Bona spiritualia alia sunt natura-  
lia, ut potentiae naturales, scientiae, & ar-  
tes, earumque usus; & alia supernaturalia,  
quaes ad animae sanctitatem, & salutem imme-  
diatè ordinantur, ut sunt gratia, virtutes in-  
fusæ, earum actus, bona merita, Sacramen-  
ta, &c.

**Q** 1. *An qui injustè lègit alterum in bonis spiritua-  
libus naturalibus tenetur ad restitutionem?*

**R**esp. Qui yeneno, potionē, vel alio modo  
aliū memoriā, vel usu rationis, aut alterius  
potentiae naturalis privavit, aut maleficiis de-  
mentavit, vel vi aut fraude pertraxit ad aliquid  
sumendum, ex quo tale dānum secutum est,  
peccavit graviter contra justitiam, & tenetur  
**ex justitia tollere**, ac curare ista mala, si potest,  
**& resarcire omnia dāma** inde secuta. **E**st  
**communis**, quia illorum causa fuit per injuriam,  
**violando jus**, quod proximus habet ad bona

natu-

naturalia, quodque non minus strictum est, quam jus ad bona externa, quæ possidet.

Item qui alteri causa est injusta damni in scientia vel arte, sive quia vi, fraude, aliave viâ injustâ aliquos prohibuit ab acquisitione vel usu earum; sive quia cuim ex officio, aut pacto teneretur alios docere, notabiliter fuit negligens in docendo, aut sine debita peritia munus docendi suscepit; sive quia culpabili- ter falsa pro veris docuit, &c. Tenetur omnia damna inde ipsis, & aliis secuta resarcire, & revocare, quæ falsa docuit: nam quia actione, vel omissione injusta posuit causam damni, tenetur causam illam tollere, & damnum omne inde secutum resarcire; alioqui injuria non tolleretur.

**Q. 2.** *An qui alterum læsit in bonis supernaturâlibus, tenetur ad aliquam restitutionem?*

*Resp. I.* Qui alterum vi, metu, vel fraude, vel alio modo injusto, induxit in peccatum, vel abduxit à bono opere, aut decepit falsâ doctrinâ contra fidem, vel bonos mores, tenetur ex justitiâ vim ac seductionem tollere, fraudem, & errorem aperire, removere causas ulterioris lapsûs, & curare, quantum fieri potest, ut alter restituatur in eum statum, de quo injustè eum dejicit, v. g. inducendo ad poenitentiam, orando Deum pro ejus conversione, &c. *Est communis.* quia est causa injusta talis damni: quilibet enim habet jus, ne

O 2

inju-